



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Ad Guilielmum Furstenbergium, Fratrem Suum, Canonicum Trevirenssem,

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

Nempe minus peccat, præbere fidelibus aurem
 Quicumque præceptis amat;
 Nec metuit Bavius, qui sese, iudice recto,
 Castigat erroris reum.
 Ingenium quicumque suum pluris facit æquo,
 Non æstimandus posteris,
 Aut tineis epulas, aut scombris debet amictum,
 Ridenda vulgi fabula.

A D

GUILIELMUM FURSTENBERGIUM,
 FRATREM SUUM,

CANONICUM TREVIRENSEM,
 PADERBORNENSEM ET MONASTERIENSEM,

Roma per Galliam, ubi Massilia portu ob pestilentia suspicionem prohibitus, Telone susceptus, & Lugduni gravi postmodum morbo tentatus fuit, in Germaniam ad suos proficiscentem an. M. DC. LVI. non. Novemb.

ERGONE Tyrrenum volitanti per mare puppi,
 Et impotentibus Notis
 Credulus, ire paras?
 Nec fœdas hyemes, nec monstra natantia ponto,
 Nec faxa palles naufraga?
 Quin etiam fidei
 Immemor ante datæ, Romam fugis, atque sodales,
 Et fratris, o vita mihi
 Frater amabilior,
 Deferis amplexus votis tua vela sequentis,
 Ne sævus illis Africus
 Ingruat, aut Boreas.

R iij

134 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Verum age, quando fugæ certam jam nulla morari
Mentem queunt suspiria,
Oceanive minæ,
I felix, longumque vale, celeremque carinam
Regant benigna sidera
Fratribus unanimis
Tyndaridæ, pelagique potens Neptunus eunti
Irata componat freta,
Nereïdumque chorus
Adsit, & alma Thetis, dum ventis usque secundis
Sparfas per æquor Stœchadas,
Phocaicosque sinus
Attigeris. mora nulla: petas tunc sospite cursu
Optamus urbem, quam celer
Alluit hinc Rhodanus,
Illinc lentus Arar. Sed quid præfaga futuri
Sinistra fata mens timet?
Sit, precor, augurii
Vana fides, meritisque tuis votisque tuorum
Permota, spes Germaniæ
Numina respiciant.
Hinc infelici positas in rupe Gebennas
Prætervolabis, & juga
Plurima fideribus
Proxima transgressus, descendes flumine Rheno
Beata demum patriæ
Arva videre tuæ,
Arva olim proavis regnata, & cæde Latina

Conspersa, qua Varus gravi
 Stratus ab hoste jacet.
 Quos ego nunc plausus audire? quot oscula caris
 Divisa amicis, intimæ
 Quas videor lacrimas
 Cernere lætitiæ testes? quæ gaudia fratrum
 Terra marique devium
 Fratris iter reducis,
 Et res optantum nostras, Italumque labores,
 Et facta ALEXANDRI inclyta
 Noscere? quæ dubiis
 Narrabis melius rumoribus, ipse fidelis
 Spectator: ut pulsa fame
 Finibus Ausoniæ,
 Illius auspiciis opulento Copia cornu
 Bearit urbes, & redux
 Frugibus arva Ceres.
 Ut nunc consiliis præsentibus, impiger Hydræ
 Qualis renascentis caput
 Amphitryoniades,
 Infestam Latio pestem premat inclytus Urbis
 Servator, hinc & patriæ
 Audiat usque Pater.
 Nec tamen has inter curas, terraque marique
 Cretæ laborantis piam
 Mittere rebus opem
 Cesset; & Europæ convertere bella furentis
 In regna late barbara

136 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.

Thracis, & exitium.

Hæc & plura tuis memorans, nec vota filebis

Romæ precantis jamdiu

Egregio juveni

Virtutis patruæ vestigia sacra legenti,

Decus Latinæ Purpuræ,

Et meritos titulos.

Intacti siquidem mores, animusque benignus,

Ac vena dives ingeni,

Cultraque Pieriis

Artibus, & Themidos studiis, ac sub lare sancto

Nutrita mens, & indoles

Vivida CHISIADÆ

Spem faciunt, curas partito ac pondera mundi,

Longos ALEXANDRO fore

Et sine nube dies.



MONU-